



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 1. S. Basilius in Solitudine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

XIII.  
si enim  
de erra-  
ram si-  
si bodie  
l dicen-  
m tunc  
ndo mi-  
ret sen-  
mortuus  
dicio i-  
t, cum  
quoque:  
in qua-  
auditur  
qui post  
ejus



# HISTORIA ECCLESIASTICA. LIBER XIV.



LIBERIUS, PAPA.  
CONSTANTIUS, IMPERATOR.

§. I.

*S. Basilius in Solitudine.*

Sanctus Basilius, & S. Gregorius Na-  
zianzenus non multum post disces-  
sum Cæsaris Juliani Athenis mora-  
ti sunt; absolutis studiis in Patriam re-  
dire statuerunt, & prior in viam se de-  
dit Basilius; Cæsaream Cappadociæ re-  
versus, statim quasdam in foro causas ci-  
viles dixit, hæ enim erant illorum rudi-  
menta, qui munera publica ambiebant,  
hinc etiam ars eloquentiæ tanto in pre-  
tio habebatur; Sed in Basilio Philosophiæ

Sæculum IV.  
A. C. 357.

Zz 5 amor

STO.



Sæculum IV. amor ambitionis stimulos suppresserat,  
 A. C. 357. spernebat Dignitates, non quidem humi-

*S. Greg.*

*Nyff. vita.*

*S. Macrin.*

p. 181.

litate Christiana, sed quod suis nature  
 dotibus, & sublimis Philosophiæ scien-  
 tia, se his superiorem crederet. Soror  
 ejus Macrina brevi meliorem fratri Phi-  
 losophiam suggessit, ita, ut humanam  
 gloriam, & famam, quam sibi eloquen-  
 tia parare posset, vilipendens, paupertatem  
 voluntariam amplecti voluerit & la-  
 borare manibus suis, ne quid esset, quod  
 se in via virtutis moraretur.

*ibid. p. 179.* S. Macrina inter decem liberos Bassi-  
 lii, & Emmeliæ major natu erat, quam  
 Mater singulari cura educavit; quamvis  
 ei nutricem dedisset, sæpissime tamen suis  
 sustentabat parvulam brachiis; & vi-  
 dens Mater in paucis raram esse Filiæ in-  
 dolem, seu ingenii capacitas, seu docili-  
 tas spectaretur, noluit, ut vulgari me-  
 thodo informaretur; erat autem hæc me-  
 thodus, quod in manus teneræ juventu-  
 tis libri Poetarum tradi solerent, nem-  
 pe tragœdiæ depravatis affectibus exor-  
 nata, aut carmina impudicitiam docen-  
 tia. Econtra Macrina Matre Magistra  
 illos S. Scripturæ libros discere jubeba-  
 tur, qui ejus ætati magis conveniebant,  
 quales sunt, libri Salomonis, & Psalmi;  
 hos canendo ita sibi familiares reddidit,  
 ut eo cantu, quidquid ageret, animi hi-  
 laritatem testaretur, e lecto surgens, la-  
 bori



bori se accingens, quiescens, ante & post Sæculum IV.  
 comestionem, cubitum concedens, rur- A. C. 357.  
 fusque ad preces nocturnas surgens sem-  
 per Psalmos modulabatur; Lanificii erat  
 peritissima, quod commune est mulie-  
 rum opus. Ubi annum ætatis duodeci-  
 mum attigit, cum formæ puellaris exi-  
 mius esset nitor, magna eam juvenum  
 turba in Sponsam exoptabat; is vero,  
 quem puellæ Parens inter omnes sibi in  
 Generum elegerat, præcoci fato ante  
 nuptias ereptus est; tum Macrina, gra-  
 tissima sibi occasione usa, Virgo perma-  
 nere statuit, dicens, eum, cui se Pater  
 destinasset, semper pro Sponso habituram,  
 & obitum ejus profectionem sibi videri,  
 qua finita in resurrectione mortuorum  
 conjungerentur. Ergo a Matris latere  
 avelli non potuit, cui omne filialis obse-  
 quii genus exhibens, panem coquebat, &  
 labore manuum suarum alebat; defun-  
 cto Patre, ipsa maximum Matris viduæ  
 solatium fuit, & in sustentanda copiosa  
 familia, nec non magnarum possessionum,  
 per tres Provincias dispersarum, admini-  
 stratione auxilium. Talis erat S. Macri-  
 na; & in hoc statu S. Basilus, Athenis  
 rediens, suam invenit familiam.

Tunc, ut ipse de se narrat, quasi e *Ep. 79.*  
 somno profundo evigilans, veram Evan- *p. 853.*  
 gelii lucem cœpit admirari, & humanæ  
 Sapientiæ vanitatem agnoscere; defle-  
 bat



Sæculum IV. bat juventutis suæ tempus, in acqui-  
A. C. 357. rendis profanis scientiis collocatum, cum-  
 que in Evangelio legisset, primum ad per-  
 fectionem gradum esse, bona sua vende-  
 re, pauperibus distribuere, atque omnem  
 temporalium curam, & affectum depo-  
 nere, virum invenire cupiebat, quem,  
 hanc viam ingressum, Ducem sequi pos-  
 set. Hoc consilio varia suscepit itinera,  
 virosque tales, quales ipse optabat, pro-  
 pe Alexandriam, & in reliqua Ægypto  
 vidit; alii occurrerunt in Palæstina, Sy-  
 ria, & Mesopotamia, quippe vita Mona-  
 stica per omnes has Provincias jam tum  
 fuerat prolata; Horum Basilus abstin-  
 tiam, laboris assiduitatem, & orationis  
 fervorem suspiciebat; mirabatur, quod  
 somnolentiam devicissent, & omnibus  
 naturæ necessitatibus resisterent, in fame,  
 & siti, frigore, & nuditate animam libe-  
 ram, & in cœlestibus fixam conserva-  
 rent, corpus negligenter, nec ulla cura  
 dignarentur, sed quasi in carne aliena ha-  
 bitantes, suo exemplo, & ipso facto de-  
 monstrarent, qua ratione in hac vita  
 Mundi viatores, & Cœli incolæ esse va-  
 leamus. Hæc sunt S. Basilii verba, qui-  
 bus subjungit, animum suum vehemen-  
 ti desiderio fuisse impulsum, proposita  
 exempla imitandi.

*Carm. I.* S. Gregorius Nazianzenus paulo post  
*p. 5.* Basilium Athenas reliquit, moræ impa-  
 tiens,



tiens, qua ab amico charissimo separaba- Sæculum IV.  
 tur. Tunc redux primum baptizatus est, A. C. 357.  
 atque abhinc Gloriæ, deliciis, & terræ  
 hujus bonis nuntium misit, ut vitam ve-  
 re Christianam duceret. Sacras Scriptu- Carm. 54.  
 ras meditabatur, ut species, ex libris pro- p. 1. 30.  
 fanis haustas, deleret. Carnis petulan-  
 tiam, & ardorem juventutis gravi labo-  
 re manuum domabat, jejunabat, oculos  
 frœnabat, risum, iracundiam moderaba-  
 tur, humi cubabat, rigido indutus vesti-  
 mento, non aliud vigiliæ quærens sola-  
 tium, quam largas lacrymas; de die dor-  
 sum in labore incurvabat, noctem in Dei  
 laudibus transigebat. Hæc fuere Grego-  
 rii in sua conversione initia. Ex omni-  
 bus artibus solam retinuit eloquentiam,  
 qua ad Dei honorem uteretur. Cum ea  
 esset ætate, qua vitæ genus eligere oportet,  
 deliberabat, an perfectam solitudi-  
 nem ad Exemplum Eliæ, S. Joannis Ba- Carm. 1.  
 ptistæ, & Recabitarum amplecti sibi ex- p. 5.  
 pediret, an in Societate hominum per-  
 manere, ut plenius Divinis litteris im-  
 bueretur; tandem placuit vita mixta,  
 quæ unius tranquillitatem cum alterius  
 utilitate conjungeret; maxime autem,  
 ut hanc eligeret, permovit cogitatio, ne,  
 si Mundum penitus relinqueret, simul  
 Parentum suorum canos destituisse vi- Carm. 2.  
 deretur; ergo eorum curam, & negotio- p. 33.  
 rum domesticorum gerere decrevit; ma-  
 xima



Sæculum IV. xima sua molestia, quam ei faceſſebat re-  
 A. C. 357. gimen in domesticos, quos si ſevere tra-

ctaveris, aſperantur, ſi leniter, inſoles-  
 cunt. Rurſus difficillimam rei domeſti-  
 cæ curam reddebant immodica tributa,  
 quæ fundorum poſſeſſoribus imperaban-  
 tur, & eorum, qui iisdem colligendis præ-  
 ſecti erant, inhumanitas; tandem graviſ-  
 ſimum accidebat, quod in iudicio conten-

SS. Grego-  
 rii, & Baſilii  
 vita.

dere cogeretur, ubi ſibi cum adverſæ par-  
 tis mala fide, & corruptorum iudicum  
 avaritia pugnandum erat, ita ut edixerit;  
 in iudicio litigantibus impoſſibile eſſe ſi-  
 ne ſingulari Dei gratia cordis puritatem  
 ſervare. Hæc impedimenta Gregorium  
 morati ſunt, quo minus S. Baſilium, ſicut  
 promiſerat, in ſua e mundo fuga ſeque-  
 retur.

Greg. ep. 5.

S. Baſilius, eo non exſpectato, poſt-  
 quam a profectione Ægyptiaca, & Orien-  
 tis reverſus eſt, & vitam eorum, quos  
 viderat, imitari decreviſſet, ſtatim cum

Baſil. ep. 79.

quibusdam ſocietatem iniit, quos in pa-  
 tria ſua invenit, externe eandem vitæ  
 rationem tenentes. Erant hi Euſtathius  
 Sebaſtenus, & Diſcipuli ejus, quorum  
 veſtitus craſſus, & vitæ auſteritas, a vo-  
 luptate abhorrentis S. Baſilio impoſue-  
 re, credenti, ſanctam eſſe eorum inten-  
 tionem, eorumque familiaritatem ſibi ad  
 ſalutem fore utiliſſimam.

Non



Non deerant, qui S. Basilium mone- Sæculum IV.  
A. C. 357.  
rent, ut ab istis hominibus propter Eu-  
stathium Magistrum suum de Ariana hæ-  
resi suspectis caveret; ipse vero crimi-  
nose hæc dici ratus, timuit, ne temera-  
rium de proximo ferret iudicium, nec  
nisi post hæc errorem suum dedoctus est.  
Interim in habitationem sibi elegit lo-  
cum quemdam desertum in Provincia  
Ponti haud procul fluvio Iri, & Iboræ  
oppido Episcopali; causa autem, cur  
hanc Regionem aliis præferret, fuit, quod  
jam prius S. Macrina Soror ejus cum Ma-  
tre sua S. Emmelia in vicinam suæ pos-  
sessionis terram se recepissent. S. Ma-  
crina, congregatis ibi multis ex domesti-  
carum, & amicarum numero fæminis  
Monasterium formaverat, & plantas no-  
vellas regebat; hoc Cœnobium fæmina-  
rum septem, aut octo, non pluribus, sta-  
diis, id est, paulo ultra quartam partem  
Leucæ distabat ab Ecclesia quadraginta  
Martyrum, quos tota ista familia peculia-  
ri devotione colebat. Illuc S. Emmelia  
ipsorum Martyrum quasdam Reliquias  
deferri curaverat, quam translationem  
duo Miracula celebrem reddidere. In *Greg. Nyss.  
vita Macr.  
p. 184.*  
hoc Sanctimonialium domo omnes Soro-  
res sibi invicem æquales convivebant,  
nulla gradus, aut Dignitatis distinctione,  
eadem reficientibus mensa, pares lecti,  
omnia omnibus communia; delicias suas  
in



Sæculum IV. A. C. 357. in abstinentia, gloriam in obscuritate, divitias in paupertate, & bonorum omnium, sensus afficientium, contemptu collocabant. Opus earum erat rerum Divinarum contemplatio, oratio diurna, nocturnaque Psalmodia. In labore requiem quærebant, atque ita de die in diem Perfectione Christiana proficiebant.

## §. II.

*Vita S. Basilii in Deserto.*

*p. 19.* Ergo non procul ab hoc Monasterio in Eremum migravit Basilius; locus erat desertus, ad pedem montis situs, Sylvis incinctus, & profundis vallibus, ubi torrens in præcipitium ruebat. Hujus deserti amœnam effinxit imaginem ad amicum suum Gregorium scribens, qui ei respondit cavillando ridiculam solitudinem, ut risum, quo Basilius alium locum a se designatum exceperat, ulcisceretur; quippe Sanctorum virorum gravitas non obstabat, quo minus non nunquam jocarentur. Exinde autem Basilius Gregorio serio vitæ suæ in solitudine, & totius instituti rationem perscripsit, in celebri epistola, ubi tamen magis indicare videtur, quid in deserto faciendum, quam quid ipse faciat, cum se hætenus parum sibi metipsum placere, & modicum vitæ solitariæ fructum reportasse, tesse-

*ep. I.*